

§. 1107.

## Secunda Classis Cardiacorum sive adstringentia.

### Fructus austeriusculi.

**M**ALA PUNICA Granata hodie plerumque vocantur: hi fructus succum acidulum, subausterum, sapore tamen gratum, & quasi refrigerantem, ob granorum vero copiam paucum habent, qui succus cum aqua mistus dat potum gratum, omni putredini resistantem. Hinc præcipue summam utilitatem præstat iis in casibus, ubi corrupta putredine bilis dysenterias, & diarrhæas facit; sitim alias insuperabilem tunc sedat, vasa laxa corroborat, humores nimium solutos inspissat; si ventriculo debili existente, neque motu humorum nimis peccante parum vini, & cinnamomi additur, medicamentum melius evadit, quam decantatissimum aliud. Idem potus præparatur ex malis contusis, & aquæ fervida injectis. Cortices, quos malicorium vocant, in substantia dati vim satis adstringentem habent: pro varia autem indicatione major, aut minor dosis exhibenda est, semper tamen à minore dosi incipere præstat, præsertim ubi adstringentia ad secundas vias transire debent; alias enim vasa bibula crispando, sibi viam præcludunt: quare ad gr. IV. V. VI. aut VIII. omni trihorio, vel quadrihorio dandus est hic cortex, dum ad sistendam narium, aut uteri hæmorrhagiam adhibetur; quamvis nec tunc multum proficit, propterea quod adstringentia in secundas vias fractis jam viribus perveniant. Idcirco potissimum suam efficaciam in primas vias exercent, atque in *λειψτερία*, diarrhæa, dysenteria à laxitate ortis, acri prius eliminato maxime conveniunt, & majori dosi præscribi possunt. Decoctum corticum granator. in laxo & putrido scorbuto, ubi gingivæ prope dissolvunt, admisto præcipue melle rosarum præstantissimum dat gargarisma. Cæterum in pulvere, in electuario, in decocto, vel in vinis Medicatis roborantibus adhibentur. Flores nomine *florum Balaustris*

THIN

rum prostant, qui eadem cum corticibus virtute gaudent, roborante scilicet, & adstringente.

**CORNI** fructus sunt saporis aciduli, simul & suavis, cum vi quadam adstringente conjuncti; quamobrem in diarrhæa, & dyssenteria à laxitate obortis sæpe, & parca dosi exhibiti, sunt utilissimi. Solent in decocto dari, sed rarius: Ad vires berberissæ multum accedunt. *Rob corni* ejusdem est virtutis cum baccis, usus tamen illius non est frequens.

**CUPRESSI NUCES** corroborante, stimulante, & adstringente virtute gaudent, id quod sapor amarus, & os exsiccans docet. Balsamici quid habent, propter quod diurnam coctionem non ferunt. Optime proinde adduntur vinis medicatis, & infusionibus leniter stimulantibus, & roborantibus, ubi nullus adest calor præternaturalis, sed motus potius augendus, & febris quasi artificialis excitanda est.

**ARBUTI** fructus sunt fragis similes, attamen majores; saporem gratum, & adstringentem habent: rarissime vero hodie vel ulla plantæ pars in Medicina adhibetur.

**MESPILI** sapore maxime austero & adstringente sunt præditi, dum immaturi sunt; maturi autem, & quasi semi-putridi multo lentiores fiunt; hi alvum solvunt, illi adstringunt. Variæ Mespilorum sunt species, vulgaris tamen, & immaturus maximum est adstringens, atque in diarrhæa, & dyssenteria, laxisque morbis aliis summum est remedium, quo *Petrus Forestus* Mercatorem desperatissima diarrhæa laborantem orci faucibus eripuit, trecentis dein aureis ab eodem donatus. Dantur in quatuor vel quinque partes discissi jejuno ventriculo deglutienti: sed quoniam simplex remedium passim displicet, in pulpam triti, cum cinnamomo, & saccharo in electuarium redacti, omni trihorio ad drach. I. exhiberi possunt.

**MYROBALANI.** Quinque sunt species hoc versu comprehensæ:

*Belliricus, Chebulus, Citrinus, Emblicus, Indus,*  
 quarum omnes in eo conveniunt, quod primas vias ab initio laxent, tum vero adstringant: quamobrem in diarrhæa, & dyssenteria, ubi acre omne primo expelli, dein vero fibræ laxæ roborari debent, dum opiata, & summe adstringentia hostem includendo pessimas febres excitarent, omnino profunt.

*BELLIRICI* fructus sunt, quorum efficacia sola in carne residet, quæ saporem amarum, exsiccantem, & adstringentem, virtutem vero simul evacuantem habet: Hinc in diarrhæis, & dysenterîis, & ubicunque alvi fluxus à nimia laxitate accidit, conveniunt. Dantur in pulvere à drach. ꝑ. ad scrup. II. Ad datur quandoque gr. I. nucis myristicæ, nisi calor præsens id prohibeat. In infusis quoque aquosis, & vinosis à drach. I. ad drach. II. imo ad unc. ꝑ. præscribuntur, tuncque magis sunt solventes. Ad ani procidentiam infantum etiam plurimum valet infusum Myrobalanorum Belliricorum, si intestino manu oleo illita, prudenter retruso, omni bihorio cochlear unum detur: sic enim fæces duræ primo eliminantur, dein vero alvus adstringitur, & intestinum roboratur.

*CHEBULI* amarorem penetrantem magis, vim tamen minus adstringentem, quam Bellirici possident. Dosis, & modus exhibendi illis est æqualis; at tamen ubi parum stimulandum est, Chebuli præferuntur.

*CITRINI* communiter in usus medicos adhibentur; sapor, & vires Chebulis sunt analogæ.

*EMBLICI* saporis sunt adstringentis, sed sine amaritie, neque etiam adstrictio adeo valida observatur; hinc vires quidem habent affines prioribus, nihilominus tamen leniores.

*INDICI* saporem minus austerum, hinc vires adstringentes leviores habent, & dulces sunt etiam. Usus ac dosis cum reliquis speciebus convenit. Solent omnes species simul in pulvere præscribi, tametsi difficulter pulveriscentur. Possunt vero etiam vinis medicatis adhiberi. Si denique in infuso dentur, Rheum, ut plus purgent addi solet.

*GLANS QUERCINA* saporem non adeo gratum cum exsiccatione, & adtinctione commixtum habet: Putamina glandis in pulvere pro remedio adstringente laudantur; hodie tamen iis non utimur: ceterum omnes querci partes adstringunt. *Lignum quercinum* sæpe Quajaco substituitur.

*BERBERIS* fructus est acidus, sapidus, leniter adstringens, corroborans, & putredini resistens. Unde in morbis putridis, ubi dissolutio humorum metuenda; in diarrhæis, & dysenterîis, ubi homo pauco tempore quasi emungitur, & humores in putredinem dissoluti evacuantur, optime conveniunt:

aci-

acido enim putredinem arcant, vi autem adstringente solida roborant, & fluida condensant. Datur vel succus expressus ad unc. I. vel fructus recentes ab unc. II. ad unc. III. cum sбра I. aut II. aquæ coquantur pro potu. Prostat in officinis *syrupus*, & *Rob. Berber.* utilissima sane remedia, quorum unc. I. aut unc. II. in sbris duabus aquæ dilutæ, in febris acuta putrida, biliosa, ubi diarrhæa simul etiam adest, egregios effectus ediderunt. *Cortex Medianus* truticis vino albo infusus valide purgare, & aquas hydropicorum, ut cortex Sambuci & Ebuli per alvum educere fertur.

*MYRTUS* in foliis, baccis, & seminibus eadem fere virtutes, adstringentes nempe, ac roborantes habet; sapor gratus, aromaticus & exsiccans ubique deprehenditur: Hinc eo in casu, ubi roborandum & stimulandum est; præsertim, ubi ventriculus & intestina laxa sunt, locum habent. Sic in diarrhæa in ani procidentia, in fluore albo à laxitate, & à mucosa humorum indole ortis, *baccæ* aut *folia* infusa, vel vinis medicatis addita, optime conveniunt. Laudantur quibusdam etiam in hæmoptoe, sed tunc alia his adstringentibus sunt præferenda; præcipue si malum ab acrimonia oriatur. Decoctum foliorum uti & *baccarum Myrti* ad ulcera capitis manantia, si illa exsiccare nihil vetat, & ad articulos à laxitate distractos externe applicari potest: sudores quoque nimios & fatidos axillarum, & pedum, si partes hoc decocto laventur, impedit: videndum tamen, utrum diathesis interna prius sublata fuerit. Folia denique optimum dant vulnerarium, quasi balsamicum; verum decoqui tunc non debent. Prostat *Syrupus Myrtilorum*, qui sæpe frequenter mixturis additur: & quidem, ubi adstringendum, & roborandum est, optimo cum effectu.

*FRUCTUS ROSARUM.* *Cynosbati* vocantur, quasi *Rosæ canina* diceret: vim leniter roborantem, & adstringentem cum grata quadam aciditate habent, ideoque eadem cum berberis virtute gaudent. *Rob* excussis inde seminibus paratur, quod cum carnibus ferinis non inepte comeditur: harum enim lenis jam in putredinem dispositio per aciditatem, & adstrictionem illius corrigitur.

*SORBI* varia specierum differentia ludunt: fructus immaturi saporem acerbissimum præferunt; sed maturi magis mi-

tescunt; suam tamen adstrictionem servant: Virtutis, & usus æqualis prope sunt cum Mespilis. Germanis vocantur Urles Beer. Est vero alia adhuc species, quam Vogel Beer dicunt, quæ tamen raro, si unquam in usus alimentarios, aut medicos trahitur.

### Succi inspissati.

*ACACIA* succus est, qui huc refertur, coctione inspissatus, nigricans, saporis adstringentis, non acerbi admodum, cum quadam, nec tamen ingrata amaritie conjuncti: sunt autem duæ species, ex quibus succus ille exprimitur; *Acacia* nimirum nostra, sive *Prunus sylvestris*, & *Aegyptiaca*. Pulchræ profecto virtutis est hoc remedium, ubi roboranda sunt solida, & liquida inspissanda. Hinc dum debilis est ventriculus, summopere prodest; in diarrhæa vero, & dysenteria à nimia laxitate ortis, si eam sistere nihil contraindicet, vix melius est medicamentum. Ad ani pariter procidentiam bono jure commendatur: Pauca tamen, & repetita dosi exhiberi debet. Commodissime omnium datur forma pilular. ut ægri omni trihorio gr. III. IV. aut V. deglutiant: Interim etiam in aqua solvi, & mixturis addi potest. Externe ad ophthalmias, & anginas incipientes à laxitate ortas in collyriis, in gargarismatibus laudatur: sed talia repercutientia nondum incepta inflammatione applicari debent; secus enim, aut si malum ab acrimonia, à lue venerea oriatur, pessime nocent.

*HYPOCISTIS* succus è fructibus hypocistidis expressus, in extractum solidæ consistentiæ inspissatus, hoc nomine intelligendus est, niger, & picis instar splendens: habet ille quid resinosi, & odorati; sapore vero primum exsiccante, & adstringente, in fine subdulci, salivam eliciente gaudet. Amaritie sua succum *Acaciæ* superat; cateroquin eadem, licet paulo majore vi roborante, ac stimulante præditus est: à dosi minore incipiendum est, ac sensim ad drach. ꝑ. & ultra ascendi potest.

*SUCCUS CATECHU* quibusdam, licet minus proprie *Terra Catechu*, vel *Terra Japonica* audit. Est vero adfirmante *Læseke* succus è corticibus, fructibusque diversarum arborum, quas *Geoffroy* ad *acaciam* refert, per artem elicitus, & coctione inspissatus. Qui succus ex India ad nos defertur, est substantia dura, fragilis, externa facie ex nigro rubescens, interne fusca, odo-

odoris expers, saporis amarescentis, adstringentisque, & in saliva integre solubilis. Ob suam proinde, qua gaudet adstrictionem usu interno ad morbos à laxitate partium, earumque debilitate oriundos optimo jure commendari solet. Geoffroy in materia medica hoc remedium singularem in debili, & laxo ventriculo roborando, digestionemque promovenda, energiam exercere ait, quas vires ejus quoque *tincturam* sive *essentiam*, & *extractum aquosum* habere meminit. Datur interne pro ratione à scrup. ꝑ. ad scrup. I. ad dr. ꝑ. idque vel forma pulveris, pilularum, aut mixturæ. Externe ad nimiam gingivarum laxitatem, fatidumque scorbuticorum halitum emendandum, & pulvis, si eodem leniter fricentur, & *tinctura*, si eadem laventur, profunt.

*OMPHACIUM* Gallis (*le verjus*) est succus uvarum maturitatem nondum adeptarum, inque vase æneo decoctarum, calore solis inspissatus, hinc cupro soluto imprægnatus. Vires adstringentes, & austeras habet. Laudatur itaque ad aures purulentas, ad ulcera putrida gingivarum, oris, faucium &c. ad dito præsertim melle, neque immerito: Ast deglutiri hand debet. Si vero in vase terreo coquatur, etiam interne assumi poterit, in eisdem cum succo acaciæ usus: humores enim compingit, & ventriculum ætate leviter laxum roborat. Unde quoque pro gargarismate recipitur, quod incipientem faucium inflammationem, dum nulla febris adest, optime, & quasi miraculi instar sanat.

### Herbæ, & Radices.

*PENTAPHILLUM*, *Quinquesolium* quoque dicitur. *Radix* ejus est inodora; saporem autem adstringentem habet: hinc ubi fluida inspissanda, solida laxa, & debilia roboranda, idque sine stimulo, & acrimonia, optime agit. In diarrhæa proinde, ac dysenteria; in fluore nimio menstruum à laxitate ortis; in scorbutica humorum dissolutione prodest. Contra febres intermittentes præcipue in Gallia laudem obtinuit. Exhibetur in pulvere à dr. ꝑ. ad dr. I. in decoctis ab unc. ꝑ. ad unc. I. Et quod dicitur de radice, id etiam de tota planta verum est.

*TORMENTILLA* *Radix* nullius est odoris; saporis vero exsicantis, acerbi, cum leni quadam amaritie. In aceto decocta ad erosiones oris putridas omnino laudatur: acidum enim

putredini resistit, vis autem acerba radice adstringit, & solidas partes roborat. Decoctum radice Tormentillæ, Pyrethri, & Hyoscyami aceto fortissimo paratum, addita colaturæ camphora, cum tantillo opii, *Paracelsi* arcanum fuit, quo dolores dentium, si os colluerent ægri, miraculi instar sanavit: notandum est tamen hoc remedium nihil juvare, nisi dentes exesi fuerint, ut ad nudum nervum pertingere, eumque destruere valeat. Cæterum Radix hæc in diarrhæa, à laxitate oborta; in nimio menstruorum à simili causa fluxu, minore ac sæpius repetita dosi, (in majore enim inflammationem producere posset) prodest: parciorè præterea manu, quoniam plus adstringit, quam Pentaphillum dari debet: hujus enim unc. ꝑ. pro lb. I. aquæ sufficit, dum alterius uncia integra requiritur. Interim si pro fomentis adstringentibus, qualia in herniis dictis ventralibus, in prolapsu intestini recti, in articulis nimium laxis, roborandis &c. quandoque indicantur, servire debeat, etiam ad unc. II. aut III. pro libra I. liquidi, admistis aliis roborantibus e. g. cortice Tamarisci, Peruviani, Quercus, Alumine &c. præscribi potest. Datur quoque forma pulveris à dr. ꝑ. ad dr. I. à minore tamen dosi, ut superius monui, incipiendum est semper. *Aqua Tormentillæ* virtutes adstringentes non habet: *Extractum* autem vires concentratas totius plantæ continet, atque à gr. IV. ad gr. V. vel VI. imo ad scrup. I. exhibetur. Radix denique ingreditur *Diascordium Fracastorii* notum adeo & usitatum contra diarrhæam à laxitate remedium, cujus drach. V. granum unum opii continent, præter alia adstringentia, & aromata satis calida.

*LAPATHUM* in plurimas dividitur species: habetur enim *Lapathum sylvestre, hortense, acutum, hypolapathum, oxylapathum* &c. in quibus eadem fere vires laudantur, laxantes nempe & adstringentes simul; id quod fieri posse *Myrobalani* & *Rheum* docent. Decoctum hujus plantæ, si meracum satis fuerit, summam efficaciam habet in casu, ubi humores crassi & mucosi sensim solvendi sunt; atque usu diuturno pertinacissima mala solvit, multosque morbos chronicos uti icterum, induratum lienem &c. feliciter sæpe sanat: verum nauseosum admodum est decoctum, cujus sub usu faeces etiam nigræ deponi observantur. *Cel. Boerhaave* hanc plantam miræ efficaciam esse dixit in scorbuto laxo, putrido, si verno tempore cum sero lactis infusa ægris pro-

propinetur. Laudatur denique ad maculas cutaneas detergendas, & ad scabiem percurandam: sed cum à scorbuto oriantur, facile intelligitur, quod curato morbo principali etiam illæ evanescent.

*PLANTAGO* potissimum duplex est; *latifolia*, & *angustiveni-acutifolia*. Tota hæc planta saporem non ingratum, adstringentem, non tamen stimulantem habet; Itaque in morbis, ubi adstrictione opus est, quales sunt diarrhææ, ac dysentericæ, fluor albus mucosus à laxitate oriundus, auxilium adferre solet. Optime vero tunc forma infusi vinosi exhibetur. Succus Plantaginis expressus, febrem intermittentem, modo primæ viæ prius purgentur, sæpe tuto satis curat. Præstans præterea succus iste in sanandis gingivarum malis inventus fuit, dum à neglecta inflammatione fetidissima putrilagine, taboque gangrænofo diffluentes, eodem lavarentur, foverenturque. *Conserva Plantaginis*, præsertim si *Consolida Major* simul juncta sit, contra hæmoptoen insigne dat remedium. *Folia recentia* ulcerosis infantum capitibus pone aures applicata, mirum levamen ferunt, ac sæpe malum sanant, si tamen sanare conveniat: diathesis enim prius est corrigenda. *Dosis* plantæ hujus eadem est, quæ *Pentaphilli*. *Semina* mucaginem largiuntur, non autem adstringentem: hinc errant illi, qui ea in morbis laxi præscribunt. Prostat in officinis *Aqua Plantaginis* nullarum certo virium: sed *extractum* integras plantæ virtutes continet.

*PIMPINELLA*. *Saxifraga* est alia, alia *sanguisorba*: hæc ultima ad hanc classem pertinet; saporem enim adstringentem, & os exsiccantem habet. Usu & dosi convenit cum *Pentaphillo*, minus tamen adstringit. Datur forma pulveris, aut melius forma decocti. *Saxifraga* virium est calidarum, urentium, & ad piper accedentium; quare ad cardiaca stimulantia est referenda.

*BISTORTA* itidem duplex est: nimirum magis torta, & minus torta. *Radix* hujus plantæ, quæ potissimum in usus medicos cedit, est inodora, saporis adstringentissimi: Idcirco decoctam ejus efficacissimum roborans largitur, quod ad omnes morbos, ad quos præcedentia, præcipue vero ad diarrhæas, & dysenterias à laxitate oriundas, præmissis prius purgante per Rheum, aut Myrobalanos, laudatur: ob validiorem tamen adstrictionem caute porrigenda est. *Scrup. I. drach. ß. in substantia;*

tia;



tia; unc.ß. in decocto sufficit. Virtutem suam aquæ cito communicat, & decoctum austerum reddit. Cum sero lactis decocta Radix mictum cruentum, cujus causa sola laxitas est, cito sedat. Prostat *extractum* Bistortæ, quod in electuario, vel in catapotis datur, cujus dosis sunt gr. IV, aut V. omni hora repetenda.

*LYSIMACHIA VULGARIS* flore purpureo, dicta *Tournefortio Salicaria*, Linnæo autem *Gen. pl. n. 463. Lythrum* hic loci adjungi potest. Hujus plantæ egregias virtutes in diarrhæis, ac dysentericis à laxitate oriundis *Cel. Professor Antonius de Haen* in aureo suo libro *parte III. rat. med. c. 5. pag. 214.* refert. Sic enim habet: „ dum dato prius purgante dragma una, vel quatuor scrupuli pulveris hujus plantæ, mane ac sero dantur, & morbus magis à laxis intestinis, quam à sordibus originem ducat, prætereaque nunquam ex nimia collectione putrida nec ulcere intestinorum, nec alicujus visceris tabitudine ortus sit, intra 3. 4. dies curatur perfecte, si recens est; paulo vero longiore tempore, si est diuturnior. Annosam diarrhæam, ad quævis auxilia rebellem trium septimanarum spatio eodem remedio ita percuravi, ut Nobilissimus Centurio nunc exercitum S. C. R. M. repetierit. Præstantiam hujus remedii decem variis experientis se agnovisse eodem in loco *Vir Candidissimus* adfirmat.

## Flores.

*FLORES ROSARUM RUBRARUM*, Rosæ vulgo provinciales dicuntur; hucque pertinent, quod lenem vim adstringentem, & roborantem habeant: Rosæ namque pallidæ vi potius laxante gaudent. Forma *conservæ* potissimum exhiberi solent, quæ tamen, cum maxima parte sachari constet, vix aliquid professe potest. Hinc melius longe electuariis admiscentur. Flores infusi addito spiritu sulphur. per campan. q. f. ad grat. acid. aut succo citri cum sacharo dant Claretæ optima, pulcherrime rubra, quæ in morbis calidis, ubi putredinis suspicio, & valida sitis adeest, maxime conveniunt. In morbis tamen inflammatoriis à similibus adstringentibus omnino est abstinendum. Decoctum harum Rosarum quid austeriusculi continet, atque admistis aliquot granis Nitri ad incipientes anginas pro gargarismate servit;

vit; moderate siquidem adstringendo sanguinem repellit, & vasa roborat. Caterum ut alia adstringentia adhibentur. Prostat in officinis *Mel rosarum*, quod putredini resistit, abstergit &c. à Medicis proinde, ac Chirurgis ad ulcera scorbutica & fordida detergenda, ad fistulosa depuranda, bono cum successu recipitur. In cancro autem aquatico, si drachmæ singulæ Mellis Rosacei addantur guttæ IV., aut V. spirit. Sal. Dulc. præstantissimum evadit remedium, quo partes adfectæ inunguntur, & brevi persanantur. Paratur quoque ex rosis recentibus *syrupus simplex*, qui aquæ mistus cum Nitro gargarisma priori simile constituit. Habetur & alius *syrupus de Rosis solutivus cum Senna*, qui purgat. Denique in officinis adest *Aqua stillat. Rosar. fragrans*, cujus tamen vis adstringens non est magna. Interim si ad unc. VII. hujus aquæ admisceas drach. I. pulveris florum Zinci, optimum habebis collyrium, cujus in Nosocomio pulcherrimos effectus in ophthalmiis, præsens non semel vidi. Aquæ hujus partes tres, cum parte una vini rubri adstringentis, egregium collutorium constituunt, quo dolores dentium ab inflammato eorundem periostio nati, quandoque compescuntur; siquidem gratum refrigerium, lenemque conciliat revulsionem; sæpe tamen talia repellentia non juvant: tunc anatica aquæ rosarum, lactisque copia tepide semper in ore servanda commendatur. *Placenta rosarum* post destillationem residua, aqua vel *Aceto Rosaceo* respersa, bonum dat repercutiens, quo dolores ingentes capitis sæpe feliciter mitigantur.


*FLORES BALAUSTIORUM* seu *GRANATORUM* odoris non omnibus grati; saporis, virtutis, & usus ejusdem sunt, ac cortices Granatorum, ubicunque roborandum est, & adstringendum. Dantur autem vel in pulvere, aut melius in decocto, vel quod optimum in Vinis Medicatis: atque in Diarrhæis, in Menstruis nimium fluentibus, in Fluore albo, in Hæmorrhæiis uterinis à nimia partium laxitate abortis, suo se usu commendant.

### Cortices.

**FRAXINUS CORTEX** odoris est nullius; saporis vero amari, & adstringentis. Datur vel forma pulveris, sed raro; vel,

E

quod



quod frequentius, in decoctis, & vinis medicatis, atque ubi roborandum, aperiendum, & incidendum est; ubi obstructions viscerum à laxitate ortæ, solvendæ sunt, bono cum effectu exhibetur.

*CORTEX PERUVIANUS*, *China China*, *Cortex antifebrilis*, *pulvis Jesuiticus* &c. quoque dicitur. Odoris vix est ullius, parum tamen aromatici; saporem amarum, penetrantem admodum, exsiccantem, & adstringentem habet. Quo gravior, aut amarus magis, eo est melior, & virtute integra per viginti etiam annos servari potest. Cortex hic sub cautelis à *Cl. Boerhaave* præscriptis exhibitus, bonus ac genuinus, febres intermittentes, imo & illas autumnales remittentes, quæ sunt de genere intermittentium, certo tollit: Sciendum est enim corticem non in primis statim paroxysmis exhibendum esse, nisi forte febris periculosis adeo symptomatibus stipata sit, ut metuas, ne æger sufficiat; quales sunt illæ febres, quæ sub diversa sæpe larva e. g. pleuritis, apoplexiæ &c. incautos fallunt Medicos: tunc enim cum *Cl. Morzono* statim ad corticem tanquam ad sacram anchoram confugiendum erit. 2do: in casu, ubi nimia viscerum rigiditas, aut spissitudo inflammatoria peccat, uti in pleurite, in peripneumonia, in angina inflammatoria &c. neutiquam convenit. 3tio: si viscerum obstructions, aut scirrhoræ partium indurationes adsint, nocet. Interim tamen, si debilis foret æger, aut senex decrepitus, vel paroxysmi cito invicem se se exciperent, mortisque periculum præforibus adesset, cortice succurrendum, & dein subflaminata febre in obstructions agendum foret. 4to: in febris acuis continuis, nisi peculiaris morbi malignitas ejusdem usum exposcat, è formulis nostris exulare debet: In febris vero hæcticis litigarunt authores, num cortex conveniat; cum eum laudarent aliqui, vituperarent alii; recentia tamen observata in Nosocomio Præctico instituta stupendos corticis effectus demonstrarunt, dum largo illius cum interno tum externo usu puella, à resorpto intra sanguinem ex ulcere, quod superiore in femore habebat, pure, febre hæctica contabescens, juncta Diata lactea ex integro curaretur; cujus historiam cum pluribus aliis valde notabilibus eleganter descripsit *Cl. Professor Antonius de Haen parte III. rat. med. c. 5. p. 196. ad 210.* vires etenim vitæ firmat, sanguinem contra putredinem

nem munit, dissolutionem nimiam à resorptione puris oriundam impedit, solida roborat, pus laudabile producit, efficitque, ut majore copia è corpore eliminetur. Nonne hinc etiam patet, cur in cancro deterrimo illo, & ad omne genus remediorum rebeli malo tentari debeat? ejus curationis spes dum demum quædam affulget, cum rodentissimi ichoris loco pus bonum, album, æquabile, minime cænosum & fatens generatur. Et sane, quid nos dubios reddat, de felici chinæ chinæ in compescenda sævientis canceri crudelitate, dirisque illius symptomatibus mitigandis successu? quando & Doctissimi Ratisbonensis Medici *Dieterichs* experimenta eundem tam perspicue referunt, & *Clarissimi Præceptoris*, circa sæminam, quæ cancerum mammae à quadriennio clausum, jam vero exulceratum gerebat, observationes penitus evincunt. Historiam sæminæ *Vir Celeberrimus* pro singulari animi sui candore *part. III. rat. med. c. 5. pag. 211. & 12.* adornavit: quo in capitulo *pag. 133. Dieterichs* quoque observatorum breviter, at nervose meminit.

Casto igitur ratiocinio antea ponderandum est, quo in casu Cortex Peruvianus locum habeat, aut quibus in circumstantiis febris debellanda sit, quo cognito remedium evadit, quod præstantia sua plurima alia quam longissime post se relinquit. Verum de his, ne longior sim, videri possunt immortalia *Illustrissimi L. B. van Swieten* commentaria capite de Febris in-termit. ad *aph. Magni Boerhaavii* 767.

Modus exhibendi, & dosis qua præscribendus est, ubi indicatur in febris, sequens esto. Forma pulveris actionem suam optimè absolvit, quamvis nauseosus sit valde: ad hoc enim emendandum eleosacharum quoddam addi potest: dividitur porro unc. I. in partes duodecim æquales, quarum singula tempore ἀπυρεξίας omni 2horio, prout paroxysmi à se invicem magis distant, exhibenda erit, ad sequentem usque invasionem. In febris illis, quæ duplicatis paroxysmis ægros adoriuntur, remissionis tempore propinandus est, secus enim adsumptus, magnas haud raro strages edidit. Si febrem spasmodicæ simul contractiones, nimiaque nervorum ἐμμεταβλεσία comitentur, optime cum cortice opium commiscetur: salium vero addita-menta supervacanea esse videntur. Interim etiam cum syrupo

quodam officinali, aut melle electuarium inde parari potest, ad magnitudinem nucis Moschatae omni zhorio, aut zhorio exhibendum, id quod multis agris gratius est. Vina quoque medicata praestantissima fiunt, quae corticis virtute imbuuntur.

Ceteroquin cum aqua decoquitur, idque per horas duas, quin sensibilem vim perdere observetur: dosis tamen dupla, unciae nimirum duae ad febrim fugandam requiruntur. Cum vero decoctum hoc nauseoso admodum sapore passim adeo displiceat, corticem citri, aurant. cinnam. vinum, imo & salem tartari sub decoctionis finem adicere solent, quae nauseam quidem corrigunt, saepe tamen ob stimulum suum neququam conducunt. Interim haec & similia frequentissime aliam quoque ob causam admiscuntur: scilicet ut cortex tegatur, neu forte vano metu perculsi aegri, omnes in tota deinceps vita contingentes morbos innocuo huic remedio adscribant. Sales alcalini e. g. sal tartari, absynthii &c. ad dr. ss. decocto additi, illud limpidum, coccineo colore praeditum reddunt, quod alias est turbidum, & flavescens. Vinum ei admixtum eadem profus praestat: amarities per convenientem syrupum, e. g. aurant. citri &c. emendatur. Si decoctum ad mellis consistentiam inspissetur, extractum obtinetur, quod cum syrupo officinali in electuario, aut in mixtura, aut cum pulvere glycyrrhyzae forma pilularum, aut denique cum conserva quadam forma boli praescribitur. Sed unc. ss. extracti sufficit, ubi uncia integra in substantia requiritur. Prostat in officinis *tinctura* vel *essentia* Corticis Peruviani, cum spiritu vini facta, quae citius quidem agit, citius tamen iterum evanescit. Si ab aegris uti ab infantibus impetrari non possit, ut corticem assumant, clysmatis forma decoctum ejus, aut pulvis aqua dilutus injici poterit, verum tripla tunc dosis accipi debet: notandum est autem, uno alterove clysmate ex melle, aut sale gemmae alvum prius eluendam esse, neque clysmata illa ex cortice uncias V. aut VI. in adultis excedere debere. Infantibus vero unc. I. vel II. sufficiunt. Ceterum Sydenhamus observavit praescriptionem Medicorum variare, docuitque eo majore dosi opus esse, quo magis febris ad continuitatem accesserit: Quapropter ipse Author jam unc. I. ss. vel & unc. II. in substantia dederat. Quoniam vero nullus febre Cortice curatus recidivam evadat, ideo finita febris post septem

septem

septem, & quatuordecim dies iterum unc. I. dari potest, nisi viscus aliquod sit obstructum, vel scirrhosum factum. Observatum est quoque purgantia vim corticis infringere: hinc illa, & clysmata similia sub usu ejus non sunt porrigenda.

Divinum præterea remedium, quo infinita SUPREMI NUMINIS Clementia nos impertivit, Cortex Peruvianus aliis etiam in casibus subministrat: quid enim amabo! morbos à laxitate ortos feliciter curat, quam ipse hic Cortex? Idcirco Sydenhamus eundem ad diarrhæas & dysenterias, ad fluxum album uterinum à tali causa natum præclaro cum effectu adhibuit. Optimum dein est antispasmodicum, antihystericum, & debilibus sine materia hypochondriacis plurimum prodest: siquidem in spiritu *ἀραξία* subinde quasi miracula facit. In hemicrania, mulieribus summum sæpe levamen attulit: Hydropem quartanam concomitantem sanavit &c.

Quid vero de gangræna sive interna, sive externa dicam? in qua repetita experimenta à Cl. Professore Antonio de Haen in Nosocomio tentata pulcherrimam ejus virtutem antisepticam clamitant: magna tamen dosi tunc temporis propinari debet, ita, ut pro varia ratione unc. I. imo & unc. II. de die ægri adsument. Si tabus gangrænosus partes externas quoque occupet, fomenta ex decocto meraco Corticis applicata usum internum adjuvant. In miliaribus, in petechiis malignis, si ab initio statim, ubi exanthemata illa corpus defœdare incipiunt, detur, curas desperatas felicissimo exitu terminatas à laudato paulo antea Præceptore attonitus vidi; qua de re parte III. rat. med. c. I. p. 50. ad 80. non sine ingenti animi oblectamento propria illius verba legi possunt. In ulceribus pessimis *κακοῖσιν* decoctum corticis fomentorum specie appositum, egregios effectus præstitit: ad ulcera tamen venerea, & scorbutica profuit nunquam; quinimo in scorbuto & Rheumatismo interne assumptus semper nocet, atque Sydenhamus à longo, & repetito corticis usu sequens notavit incommodum, quod nempe in Rheumatismum scorbuticum inciderent ægri, qui tamen antiscorbuticis remediis facile curabilis erat. Tandem Anglicana consumptio, ubi *niaia* est humorum fluiditas, nervorumque mobilitas, satis feliciter sanatur, dum cortici quotidie ter ad dr.ß. in

pulvere, aut electuario &c. assumpto, copiosæ aquæ spadanz, idque diuturno tempore superbibuntur.

Quid vero aliis adhuc in morbis effecturus sit, solers Medicorum industria demonstrabit; quin *Clarissimus Professor Antonius de Haen*, quem ob singularem prudentiam, & indefessum observandi studium orbis veneretur oportet, plurimis jam in osium affectuum malis, ut in spina ventosa in carie &c. egregios remedii hujus successus vidit. Quomodo autem in febris agat cortex, hic loci disceptaturus non sum: hoc adhuc moneo, infantem fugentem ubera matre assumente corticem, à febris liberatum esse.

Destillata de hoc Cortice nullius sunt virtutis: correctiones ejus inanes. Paratur inde sola agitatione quadam in machina *sal essentielle*, quod tamen ob exiguam, qua obtinetur copiam, pretiosum est valde. 2do *Resina Corticis* spiritu vini extracta, quorum dr. I. aut gr. XL. cum æquali *sachari albi* quantitate forma pulveris data, inque sex, aut duodecim doses divisa, febrim æque confodit, ac unc. I. corticis in substantia exhibiti, præterquam, quod ægris & pueris morosis amara adeo respicientibus, facillime ingerantur: vis tamen roborans neque Resinæ, neque sali inest, quam cortex in substantia continet.

*CORTEX TAMARISCI* odoris tere est nullius; saporis adstringentis, & cum quadam amaritie os exsiccantis. Ad omnia illa mala, ad quæ præcedentia laudata sunt, convenit, ac eadem prorsus dosi exhibetur. Forma pulveris præscribi potest; frequentius tamen cum ejusdem virtutis medicamentis decoquitur. Laudarunt quidam vim hujus corticis ad lienis obstructions: sed cum vi sua roborante flatus in intestino colohærentes discussit, sicque illud collabi fecerit, putarunt lienem obstructum curatum esse. Ceterum addi solet vinis medicatis, roborantibus, & adstringentibus.

*CORTEX RADICUM CAPPARIDIS* odoris est aromatici; saporis non ita adstringentis, ut Cortex Tamarisci. Est autem nobile remedium, ubi roborandum simul, solvendum, ac detergendum est. Quare in morbis chronicis in hunc scopum adhibetur. Datur vero forma pulveris bis vel ter de die à dr. ss. ad dr. I. vel forma decocti, aut vini medicati ad unc. I. pro ß. I. liquidi. Prostat *oleum Rad. Capparid.* usu externo ad lienis, & he-

hepatis obstructions commendatum; eo tamen tuto carere possunt officina.

## Resinæ, aut Gummi - Resinæ.

**M**ASTICHE substantia est resinosa, fragilis, ex arbore lentisco profluens; odorem gratum, saporem resinolum, stimulantem, & aromaticum habens. Igni injecta fumum spargit utcunque amaranum. Servit autem pro suffumigiis ad aeris humiditatem corrigendam, & vasa laxa roboranda. Hinc in catarrho humido, mucoso, halitus ejus naribus attractus, utilissimus reperitur: partes quippe laxas roborat, vasa irritat, & stimulat, sicque mucum expellit. Eam ob causam à quibusdam ad veterem tussim laudatur, sed locum modo habet, ubi laxitati nimia malum originem suam debet. Masticata halitum graveolentem corrigit, & gingivas firmat. Tandem, si diu masti- cetur, durefcit, quæ massa in dentem cariosum, & cavum im- missa, eum longe melius, quam plumbum, vel aurum indu- ctum conservat. Mastiches drach. II. cum anatica quantitate Cardamomi, Zingiberis, vel Pyrethri constituunt Apophleg- matizonta, in semi-paralyfi musculorum linguæ, à mucò ortæ, convenientia. Pulvis Mastiches ossibus cariosis denudatis opti- me inspergitur à Chirurgis: formant inde simul cum spiritu vini pastam, eamque applicant, sic aerem arcent, ac putredi- nem præcavent. Interne quoque forma pulveris aut pilular, cum successu adhibetur, ubi suppuratione viscerum prægressa, pure jam evacuato abstergendum est, ac consolidandum. Da- tur in substantia à scrup. I. ad dr.ß. pilulæ tamen meliores sunt. Paratur inde Spirit. Mastichinus, cujus formula habetur in materia medica Cl. Boerhaavii Sect. 252. n. 2. qui ad ossa cariosa præ cæ- teris insigni cum effectu applicatur.

**THUS** seu **OLIBANUM** videtur esse lachryma gummi- resinosa, ex arbore hodie nondum satis cognita depluens: odo- rem habet gratum, resinolum; saporem amarum, balsamicum. Candicans, pellucidum, & nitidum optimum est. Externe in suffumigiis ad catarrhos mucosos, ad coryzam, ad ani proci- dentiam usum habet. Interne laudantur vires omnem acrimo- niam demulcentes, roborantes, stimulantes leniter, & exsiccan- tes.



tes. Quapropter si in ore volvatur, sicque solvatur sensim, ad morbos pectoris, ubi pulmones debiles, & catarrhosi sunt, conducit, atque dum serum acre, vel excoriatio circa laryngem oborta, aut nimia nervorum laxitas, & nudorum irritabilitas tussim dictam titillatoriam excitant, prodest. Hunc in finem quoque Mastichen junxere. Præterea, ubi hæmoptisis orta est à laxitate, ac vestigia levia suppurationis in pulmonibus adsunt, omnibus balsamis palmam præripit: cuncta enim vasâ pervadit, corruptionem, & putredinem arcet. Datur forma pulveris, vel pilularum; dosis est scrup. I. ad drach.ß. & si de die dr. I. vel dr. II. ingerantur, sputa lenta optime promovet. Externe quoque pulvis inspersus ossibus cariosis cum Mastiche, ac Colophonio laudatur: nec non ulceribus nimium laxi, & diffluentibus conducit. Denique ad ulcera capitis manantia consolidanda, dum id fieri debet, adhibetur.

*SANGUIS DRACONIS* est substantia gummi-resinosa multis menstruis pertinaciter resistens, coloris ex fusco-rubri; saporis exsiccantis, & leniter adstringentis. Innocuum est remedium, quod corpus neque turbat, neque multum roborat: constanti vero traditione ad omnia sanguinis profluvia, ad hæmorrhagiam narium, ad lochia nimia, ad hæmoptoen commendabatur, tametsi parum vel nihil inde sperandum sit. Interim aliis efficacioribus simul non omissis, ne ægros neglexisse videamur, præscribi potest. Dosis periculosa non est; sive enim quis scrup. I. vel drach.ß., aut drach. I. dederit, nihil refert. Exhibetur vel forma pulveris & pilularum, vel mixturæ, quæ tamen calere non debet, secus grumescit. Usus externum longe majorem habet: Chirurghi enim optime hanc substantiam pulveribus absorbentibus, & adstringentibus sive stipticis ad compescendas hæmorrhagias miscent: vasa namque laxa vulnorum roborat, condensat, & humores inspissat. Ad gingivas præterea laxas, & dentes firmandos in pulvere dentifricio, cum myrrha, ossibus sepia, & sale stipticum fabarum non inepte adhibetur.

*GUMMI LACCA* est resina, vel saltem medium inter gummi & resinam. Duplex habetur species; una in ramis, & altera in granis: illa tamen hac melior est. Si masticaretur, salivam purpureo colore tingit, linguæ saporem adstringentem, diu-

diuturnum imprimit: combusta primo odorem gratum, dein fetidum spargit. Pertinacissima solutu est; atque inde patet, quid in substantia prodelle possit. Plerumque igitur forma *Tinctura, spirit. vin. facta* exhiberi solet, quæ juxta *processum 56. Tom. 2. Chemie C. Boerhaavii* optime paratur. Est vero in hac odor gratus, amaror cum adstringentis indicio satis placens, roborandi virtutem indicans. Hæc Tinctura, ut ipse Author *Celeber.* affirmat „ amabilis est virtutis in curandis vitiis gingivarum, oris „ & dentium, in scorbuto externa affrictione adhibita solerter. Potest hunc in finem cum melle rosarum pro collutorio adhiberi. Interne assumpta pulcherrimi etiam est usus in morbis illis, in quæis frigus, lentus nimium humorum motus, solidorum inertia, crassities, & mucositas liquidorum peccat. Ideirco in arthritide, in rheumatismo lentiore, in scorbuto inertiore, in leucophlegmatia, hydrope, in chlorosi, in fluore albo, & similibus morbis, ubi febris artificialis excitanda est, conducit. Sumitur autem repurgato prius ventriculo ter de die ad guttas XL, cum syrupo quodam conveniente: aut docente *Boerhaave* ex vino Hispanico, vel Canarino. Prostat quoque in officinis nostris *Tinctura aquosa*, sed virtute multo inferior, quæ passim ad roborandas gingivas scorbuticorum præscribitur.

### Vina austera.

Hæc pertinent illa vina, quæ os contrahunt, & exsiccant: talia sunt plerumque rubra: uti e. g. *Tyrolense, Budense, Saxardum, Florentinum de monte Polciano.* Item Gallicum *Gravense;* vinum *Sclavonicum*, quod *Gravensi* optime substituitur: *Italicum Reforco* dictum &c. hæc enim adstringunt, & roborant; Hinc ubi nimia partium laxitas, humorum mucositas, & diathesis frigida peccat, vel pro potu ordinario, vel horis destinatis cum aliis convenientibus medicamentis præscribuntur.

### Terræ quædam adstringentes.

**BOLI, sive TERRÆ SIGILLATÆ.** Qui veram terram sigillatam hodie habere velit, Bolum Armenam præscribat, est necessum. Terra hæc in pollinem facile conteritur; dum gustatur,  
F
bury.

butyri instar pinguis deprehenditur, sub dentibus non fridet, salivam rubro colore tingit, os exsiccat, & parum adstringit. Balsamica, & butyracea sua qualitate cuncta oblinat, & omnem acrimoniam, etiam acidam demulcet: non quidem vi specifica, sed acidum obvolvendo. Putredini simul resistit acido suo vitriolico: aromate vero leni, quod habet, roborat, & vasa laxa adstringit. Partes quoque excoriatas lenit, humores nimium fluidos condensat &c. Ob has, & similes proprietates felici cum successu commendatur primo contra venena: eorum si quidem acrimoniam obtundit; dein contra pestem, diarrhas, & dysenterias putridas, terribiles, ubi humores quasi diffluunt; contra catarrhos acres; phytin pulmonalem; rejectionem sanguinis, ceteris non neglectis: sed majore quantitate exhiberi debet; unc. I. in lb. I. aquæ emulgetur, huic emulso additur syrupus conveniens, & cochleatim assumitur. Externe in polinem redacta vulneribus manantibus aspergitur, & locis infantum ab urinæ acrimonia excoriatis quam optime applicatur. Sunt adhuc alia terræ *Axungia Solis* & *Lunæ* dici solita, minoris tamen virtutis, quam Bolus.

*CRETA* usum in mechanicis longe frequentiore, quam in rebus medicis habet: acidum quidem potentissime absorbet; hinc in *soda ventriculi* ab acido nata, convenit: si tamen acidum non inveniatur, coagula facit, non solvenda: quare lapides cancr. tutius adhibentur. Creta cum cremore lactis unguentum constituit, quod ad favos infantum exsiccandos junctis interne purgantibus optime applicatur.

## Mineralia.

*ALUMEN* est substantia alba, pellucida, in aere sicca permanens, constans acido vitriolico, & terra cretacea. Veteres diversas Aluminis species habuerunt: nobis vero duæ tantum in usus veniunt: *Vulgare* nimirum, & *Rupeum* sive *Roseum*. Est autem Alumen corpus adstringentissimum, lac, & sanguinem cito coagulans: hinc cruorem ex vulnere, aut ex naribus manantem subito fistens. Verum cautela hic opus est; si enim magnis vasis ruptis, vel discissis Alumen, aut vitriolum incaute imponatur, ad cor thrombos facere poterit, sicque suffocare. Unde

Unde melius longe tali in casu vasa ligamenti coercentur. Interne quoque ad compescendas omnes fere hæmorrhagias a nonnullis laudatum est; imo pro arcano cessit, si alumen cum sanguine Draconis ad grana X. sumeretur: & externe simul applicaretur. Interim hæc & similia adstringentia, præsertim si hæmorrhagia ab acrimonia orta fuerit, suspecta sunt semper, & periculosa. In diarrhæis & dysenteriiis à nimia laxitate ortis, putredineque infamibus, pauca & repetita dosi exhiberi quidem posset, at tamen caute vel ibi mercandum est. Dari solet forma pulveris, & pilularum à gr. III. IV. ad scrup. I. ad dr.ß. Notum est denique famosum fatis, & tanquam arcanum habitum febrifugum, in intermittentibus remedium, quod fiebat, dum drach. I. Aluminis addito pauxillo nucis myristicæ, cum dimidia parte albuminis ovi mista, spiritu vini conquassabatur, & hora ante paroxysmum ægro propinabatur. Verum quando his adstringentibus in febribus intermittentibus utendum sit, melius videri potest in *Commentariis ILLUSTRISSIMI HUIUS INCLYTÆ FACULTATIS MEDICÆ PRÆSIDIS L. B. van Swieten ad §. 768.* Externe ubicunque adstringendum, & roborandum est, locum habet. Sic si uvula, velum pendulum palatinum nimis laxa sint, aqua aluminosa diluta, in gargarismate summo cum successu adhibetur: solutio demum aluminis naribus attracta, sæcundas polyporum jamjam extirpatorum reliquias radicitus evertit. Paratur inde *alumen ustum*, quod ad diffluentia ulcera siccanda, ad partes fungosâs destruendas, optime applicatur. Additur denique pulveribus dentifriciis, sed male; dentes enim, quos antea fallaci specie temporario dealbat, erosa crusta vitrea brevi destruit, & frustillatim excidere facit.

*VITRIOLA* à pelluciditate sic dicta, *Chalcantha* Græcis, *arramentum sutorium* Latinis, in tres potissimum species dividuntur: nimirum in *albus*, *caeruleum*, & *viride*: nihilque sunt aliud, quam metalla acido corrosa; horum quædam sunt *naturalia*, quædam *artefacta*. Omnia vero constant acido vago, sive Catholico, substantia metallica, & maxima parte aquæ. Vitriola hæc sufficienti aquæ copia diluta, ut acrimonia sua non irritent, potabilia fiunt, atque per omnia vasa corporis transeunt, morbosque sic læpe expediunt, aliis omnibus remediis rebelles.

Verum sub usu horum metallorum, aut aquarum ejusmodi medicatarum, vitemus sollicitè illa, quæ ex his aquis metallum excuterent, quod dein calcem generat cum mucò intestinali periculose concrefcibilem. Cavebo proinde ab alcalinis, quæ vitriolum in ochram præcipitant. Illud denique observandum est etiam, ut a minori dosi incipiamus, quæ sensim augeri, & iterum minui, pro ratione morbi potest.

*VITRIOLUM ALBUM* est concretum in massas albas, saporis subdulcis, & summe adstringentis: cujus propria constitutiva omnia nulli hæctenus satis sunt cognita: Zincum tamen esse *Acta Parisina anni 1713, pag. 226.* multis experimentis demonstrarunt. Vires autem hujus vitrioli sunt austere, valide adstringentes, sanguinem cito coire facientes; unde Chirurgis ad sistendas hæmorrhagias celebres: dum globos inde formatos discissis venis, vel arteriis immittunt, id tamen caute fieri debet, ob rationes superius de Alumine allatas. Ad hæmorrhagias narium sæpe aliter non compescendas feliciter adhibetur. Qua de re *Illustrissimus L. B. van Swieten* *tomo 2. cap. de febre ardente pag. 501. edition. Hildburg.* legi debet. „ Ubi tam valida ad-  
 „ erat hæmorrhagia (inquit ille) ut periculum in mora adesse  
 „ videretur, nunquam fefellit me vitrioli albi meracissima so-  
 „ lutio. Si nempe turunda hac solutione madida naribus im-  
 mitteretur, curando, ut eas quam profundissime ingrediatur. Quomodo id faciendum sit, ibidem pluribus explicatur. *Dr. I.* vitrioli albi in unc. I. aquæ pro hoc scopo solvitur. In ophtalmia orta laxitate nimia vasorum, vel a tempestate humida, ubi dolor inflammatorius abest, nec malum a lue venerea pendet (hic enim noceret) in collyriis, magna tamen cum cautela adhiberi potest. *Gr. III. vel IV. in unc. I. vel in unc. II.* aquæ simplicis, aut rosarum tunc diluantur. Usum internum habet vitriolum album, ubi assumpta venena subito per vomitum rejici debent: dosis est adultis drach.  $\text{ss}$ . In hoc casu etiam *Gilla Theophrasti*, quæ chemicis ex vitriolo albo varie paratur à *gr. I.* ad *gr. II. vel III.* eodem cum effectu datur. Denique grana *III. vel IV.* hujus vitrioli in aqua *Majoranæ* solvuntur, cujus solutionis parum turunda linteæ exceptum, & naribus infantum ita obstructis & catarrhosis, ut etiam sugere non possint, immisum, pulchros effectus dedit, vel mulierculis cognitos.

**VITRIOLUM CÆRULEUM.** Hoc plerumque *Cyprium* vel & *Romanum* dicitur, & cupri solutionem in se continet: est vero corpus durum satis, non friabile adeo, formam lapillorum splendentium, pulchre cæruleorum referens; saporis est horrendi, linguam gustatum fere arrodit, & granum unum subito vomitum movet: Chirurgi externe illo sæpe lapidis infernalis loco utuntur. Interim prudenter, & cum cautela exhibitum, summum quoque interne fieri potest remedium: dum nempe gr. I. hujus vitrioli in Pincha I. aut ſbris II. aquæ diluitur, & omni bithorio vel trihorio ad unc. I. bibendum propinatur: desperatissimos quippe morbos, uti epilepsiam, maniam &c. feliciter domuit. Si tamen nausea, aut vomitus inde sequatur, magis dilui debet. In *ſcirrho* autem, vel cancro hoc remedii genus maximum damnum adferret. Cæterum si incaute assumatur vomitus terribiles, inflammationes, escheras producit, quibus succedit gangræna, & mors.

**VITRIOLUM VIRIDE** *Hungaricum*, vel etiam *Anglicanum* dictum herbacei est coloris, ferrum in se continens, & sæpissime etiam aliquid cupri. Ea de causa artificiale in usus medicos est præferendum: quanquam & illud, an nihil cupri admistum habeat, lamina ferrea sit explorandum. Hoc vitriolum bonos effectus præstat, ubi vermes in primis viis adsunt seu infantum, seu adutorum. Si enim dr. ꝑ. vel dr. I. hujus vitrioli purissimi artefacti in ſbra ꝑ. vel etiam majore aquæ simplicis vel stillatitiæ *Tanaceti* copia diluta, ad aliquot cochlearia mane assumatur, nidos vermium quam optime destruit. *Vitrioli ferri* gr. I. cum granis aliquot *Rhei ter*, aut quater de die sumptum egregium est medicamentum antihelminthicum pro puero unius anni. Infantes quinque & sex annorum gr. XV. vitriol. ferri omni die, si cum purgante quodam assumere possint, in vermibus maximum effectum experiuntur. Monui paulo antea, sub usu vitriolorum ab alcalinis abstinendum esse, quæ ochram præcipitant; si tamen id ab incautis contingeret, sciant illi, vino *Rhenano*, aut pauca copia spirit. vitriol. aqua diluti, succurrendum esse. Astringentia præterea sunt vitanda: hæc enim atramentum faciunt. Ex vitriolo viridi potissimum spiritus, & oleum vitrioli paratur: quæ putredini vehementissime resistunt, vasa roborant, humores dissolutos compingunt: interim multa

aqua diluantur oportet: alias sunt venenum, de quo parte II. in doctrina antidotorum ab egregio Domino Lauter agendum erit. In morbis putridis ad gratam aciditatem mixturis addi solent. Ex oleo vitrioli & oleo tartari fit  $\square$ r. *virriolatus*, qui est sal neuter, & bonum medicamentum digestivum, ac solvens præbet. Datur vel per se à scrup.  $\beta$ . ad scrup. I. vel cum aliis solventibus, inaciditibus, & laxantibus forma pilular. Prostat denique *Liquor Anodinus Mineral.* potentissimum sane remedium, quod inter optima analeptica, nervina, carminativa, diuretica & diaphoretica recensetur, & cum opio etiam quid commune habet; hinc ad dolores leniendos, ad spasmos sopiendos summo cum effectu exhibetur.

*FERRUM* sive *MARS* ex terra quadam Martiali dicta, & phlogisto constare videtur: metallorum est communissimum, & omnia inter corpori humano amicissimum reperitur. Usus ejus quod concernit, certum est, ferrum in ipsam sanguinis massam subduci, & ad ultima vasorum pervenire posse, cum teste magnete in exsiccatis, & calcinatis ossibus non minus, ac in plantarum cineribus deprehendatur. Præcipuus tamen ejus effectus est, quod exortam ab acido prædominante laxitatem, immutet, vires languentes erigat, corpus laxum ac debile roborat, acido vegetabili solutum, omni auro potabili melius: sicque Hæmatopoesin instauret, acidum absorbeat &c. Hinc universum locum habet in omnibus morbis laxis, leucophlegmaticis, hydropicis, vel ab acido prædominante natis; imò & in diarrhæis ac dysenteris à simili causa abortis. Maximum autem remedium præbet virginibus chloroticis; dum enim illæ ferrum assument, pulsus insurgit, vasorum in fluida, & vicissim fluidorum in vasa augetur actio, corpus exsanguie brevi rubere videtur, & puella prius penitus languida, se paulo post movet. Non minore felicitate sequiori sexui retenta sæpissime menstrua restituit, quibus hæc vel plane deficient, vel horum loco, cum sanguis bonus desit, aqua pellucida, submucosa, levissimo sanguine mixta fluit. Idcirco ferrum quoque Emmenagogum dixere, id quod non omni ratione verum est: quippe non agit vi quadam specifica, sed motum tantum augendo, & vasa nimium laxa roborando: Hinc si in defectu menstruorum plethoricis daretur, malum potius auget, quam emendaret. Ob

effe-

effectum suum Mars quoque nomen aperientis obtinuit: imo si catamenia nimium fluant, aut fluxus albus à laxitate ortus adfit, ferrum eundem etiam sistere, observatum fuit: reddito nimirum robore vasorum. Heteroclitum id aliquibus visum est: verum si actio hujus medicamenti consideretur, nemini mirum videri poterit, si contrarios adeo effectus ab uno, eodemque remedio produci videat. Notandum est autem ferrum ibi pessime nocere, ubi inflammatio, aut pus alicubi in corpore collectum est, ubi febris hectica, vel scirrhusa aut cancrosa viscera tragædiam ludunt. Plethoricis præterea, & biliosis ferri usus neutiquam est salutaris, atque si pallidis rubor faciei, laxi robur vasorum, calorque æquabilis redeat, ab ulteriore ferri usu est abstinendum, & sola moderata corporis exercitia, motus, frictiones &c. sunt imperanda. Interim sub usu Ferri salibus alc. & acidis vitriolicis non est utendum ob rationes ex chemia notatas: lac vero assumptum, secus ac alii putant, non obest.

Variis jam in formis Mars exhiberi potest, quarum tamen una sæpe alteri pro ratione circumstantiarum est præhabenda. Si acidum non adfit, sed roborans tantum requiratur medicamentum, *Tinctura* ejus summum usum habet: hac vero fit vel cum aceto, vel cum succo pomorum, fructuumque acidulorum. Maximus tamen hodie mos est, easdem cum vino Austriaco montano, vel Rhenano parandi: attendendum solum erit, ne limatura Martis nimium sit rubiginosa, aut cupri aliquid admistum habeat. *Tinctura* vino acidulo parata est acidula, mediocriter adstringens, quæ ab unc. I. ad unc. II. aut plures, bis vel ter de die exhibita, omnes fere morbos chronicos à laxitate natos, felicissime sanat. Varia diversis in casibus addi possunt roborantia: in hydrope e. g. cortex peruvianus, cortex citri, aurantior &c. optime adjunguntur. Si unc. I. Ferri in ℥. I. acetii puri solvatur, *tinctura* evadit atramento similis, dulcis quasi, sed stiptica, laxitatem chronicorum iterum pulcherrime curans. Datur hæc à guttis XV. ad gutt. XX. & XXX, quæ dosis etiam ad unc. ℥. pro ratione morbi ascendere, sicque ter, aut quater de die cochlear ℥. aut integrum exhiberi potest. *Tinctura* ista ulceribus nimium fluidis externe applicata optime simul profunt. Si jam acidum, & laxitas una peccent, limatura Martis non rubiginosa in pulvere à gr. VI. VIII. ad

ad



ad scrup. ꝑ. imo & majore doſi adhibetur. Limatura hæc quoque id habet, quod vermes occidat, ſi puero e. g. duorum annorum grana V. cum tantillo ſachari ter vel quater de die dentur. Caterum forma pilul. cum gummi illis aromaticis, Ammoniaco, Galbano &c. aut cum extracto abſynthii, quod optimum eſt roborans, adhibetur: nec non conſervæ, & electuaria, quibus Mars miſcetur, bona ſunt: ſed in mixturis ob gravitatem ſuam, qua fundum petit, male præſcribitur. Signa Ferri bene operantis ſunt calor, ſtutus & ruſtus, ovum putridum referentes, ac fæces nigreſcentes. Turbæ ſubinde, & inteſtinarum motus moleſti oriri ſolent, quando Mars in acido ventriculi ſolvitur, ad quos compescendos ſæpe gr. ꝑ., aut gr. l. opiæ exhibent Medici. Familiare quoque remedium eſt in diarrhæa, & dyſſenteria, dum ferrum candens aquæ immiſſum extinguitur, quæ aqua dein roborans & adſtringens effecta vel potatur, vel enemate injicitur, utrumque autem optimo cum ſucceſſu. Quid vero de lacte chalybeato ſentiendum ſit, in lactis hiſtoria memini.

Huc referri debent aquæ ferratæ, quæ ad curandos morbos prædictos chronicos ſummæ omnino virtutis eſſe deprehenduntur, & vel ideo ſæpius præferendæ ſunt, quod à debilibus multo facilius feruntur: quibus ſi utendum fuerit, primæ viæ præmiſſo purgante à ſordibus ſunt liberandæ. Verum de his alibi mentio recurret, ubi de Aquis Medicatis ex inſtituto agendum erit. Proſtant in officinis *Crocii*, & *Calces Martis* vario modo parati, de quibus in genere notandum eſt, eos interne plus nocere, quam prodeſſe: hinc aſſerente *Neumano* ſunt ſuperflua, cum aliunde Mars in ſubſtantia optime agat. Habetur etiam quibusdam in officinis *Syrupus Martis*, cujus vires in morbis à laxitate pendentibus, non ſunt ſpernendæ.

*CHALYBS* ex ferro paratur: & eoſdem cum illo uſus habet, licet minus efficaces, quod in confectione chalybis principium ſulphureum deſtruitur.

Denique pro coronide his accenſeri poſſunt terræ illæ Tabacariæ, Porcellanæ &c. adſtringentiſſimæ, & ſummi quandoque uſus: ſic habetur terra bolaris, quæ abſciſſo ductu ſalivari externe applicata ſtillicidium lymphæ impedit, vitriolo ſæpe non ſedandum. Sic terra calcaria bonum eſt ſtipiticum,  
dum

dum infantibus umbilicus ad locum insertionis abrumpitur. Atque hæc de secunda Classe Cardiacorum sufficiant, jam ad tertiam progrediendum,

§. IIII.

Tertia Classis Cardiacorum sive M-  
ventia.

Flores, & Herbæ.

**C**ROCUS mirum adeo teste *Cel. Boerhaavio* corpus, ut nul-  
lum ei simile in rerum natura inventiatur. Fragrantiam  
gratam penetrantem admodum, exhilarantem primo, &  
motum spirituum augmentem; dein vero narcoticam & stupefa-  
cientem habet; sique diu clauso in cubiculo libero aeri expo-  
situs odoretur, somnum, apoplexiam, & mortem adfert: qua-  
lia tristia exempla (heu!) complura varios apud auctores re-  
censentur. Penetrantissimas proinde Crocus vires possidet, om-  
nes corporis officinas pervadentes. Assumptus enim brevi uri-  
nam croceo colore tingit. Vires habet diureticas, anticolicas,  
exhilarantes, sudoriferas, aristolochicas, & emmenagogas: ea-  
propter in difficultatibus mensium, si ex terrore impedita sub-  
ito transpiratione emanerint, & debita sanguinis copia adsit,  
in aqua solutus, aut jusculis additus, plurimum adjuvat: sed cor-  
poribus inertibus, mucosis, & laxis hunc in finem nihil pro-  
dest: illis enim potius chylopoiesin, & haimatopoiesin instau-  
rantia conveniunt. Si præterea lochia ob uterum inflammatum  
non fluant, Crocus nocet. In hypochondriacis, & hysteri-  
cibus, dum tristitia animi pathemata a systemate nervoso oriun-  
tur, summi est usus: sin autem humores crassi stagnantes, mali  
hujus causa fuerint, juvat nihil, imo etiam obest. Summum de-  
inde Crocus sudoriferum cum sit, in casu, ubi vires ab initio  
variolarum, vel in aliis morbis exanthematicis oppressæ sunt,  
æger languet, pulsus debilis est, extrema frigent, pulchro cum  
successu datur. Si vero debilitas oriatur a plethora, qualem  
*Sydenham* frequenter in agris observavit, venæ sectio, non Cro-  
cus